



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Monasterium S. Arnulphi, in Ducatu Valesiae, apud Crispeium opidum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

*cognoscite. Præcipientes enim ut sicut ab ipso Domno & genitore nostro iam dicto Frodoberto, ipsa Bono crea de terra in subscripto loco legaliter ad ipsam cellam ubi constructa esse videtur, fuerunt concessa, & hoc præsentis tempore subscripti monachi inibi possidere vel dominari videntur, inspecta ipsa cessione superius scripti Principis, per nostrum præceptum plenius confirmatum, ad ipsum Sanctum locum, vel ad monachulos suos, qui ibidem de seruire videntur, perenniter proficiat ad augmentum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, nos & præcelsa Domna & genitrix nostra Batildis Regina manus nostræ signaculis subter eam decreuimus adfirmare. Signum præcelsæ Domnæ Batildis Regine. Rado. Obto.*

*Monasterium S. Arnulphi, in Ducatu Valesiæ, apud Crispeium opidum.*

**E**st Prioratus Congregationis Cluniacensis, sic dictus à S. Arnulpho Turonensi Archiepiscopo & Martyre. Cuius quidem sacrum corpus ut & Sponsæ ipsius S. Scariberge, adseruatur in dicto monasterio S. Arnulphi apud Crispeium: quod licet exiguum sit opidum, in ditone Sueffionensi situm, est tamen caput Regij Ducatus Valesiani in Francia. Vixit autem S. Arnulphus sub Clodoueo

doueo primo Rege Franciæ circa annum 513. Ut in quibusdam exemplaribus Sigeberti chronographi legitur. Vita eiusdem exstat manuscripta in dicto monasterio, & typis edita in Bibliotheca Floriacensi, Parisijs an. 1605. publicata.

*Monasterium S. Dionysij de Nogento Rotrodi.*

**E**st id à Gaufrido Vicecomite Castrodu-  
nensi fundatum anno 1. regni Henri-  
ci I. Galliæ Regis, bonisque auctum à Rotro-  
do nepote, Pertici Comite anno 1190. teste  
Choppino lib. 2. monasticorum tit. 7. art. 6.

## CAPVT XXVII.

### S. GISLENI

*Cænobium, in Hannonia, quod olim Cella  
est nuncupatum.*

**G**islenopolis Hannoniæ opidum est, palustri  
loco, inter Valentianas, & Montes Han-  
noniæ situm: cuius muris illustre vetusq;  
cænobium includitur, quod à S. Gisleno condi-  
tore nomen induit. De quo Fulbertum, Doctorem  
clarissimum, S. Auberti Cameracensis. Episcopi  
res gestas narrantem audi: Athenis vrbe Gre-  
corum nobilissima adolescens quidam inclytis  
ortus natalibus, studijsq; literalib. propemo-  
dum exercitatus, sed & fidei moribus adorna-  
tus, ex inspiratione superni amoris patriam,

*S. Gislenus  
in hoc mo-  
nasterio  
quiescit.  
Floruit  
An. 651.*